DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

SISTENS

MORBORUM NEONATORUM BREVEM SYNOPSIN,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME OBTINENDIS

in celeberrima

C. R. MILITARI SCIENTIARUM

ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

Henricus Wospiel,

Moravus Hungaro-Ostraviensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Junii **1840.**

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

Nemo ultra posse tenetur.

Bekanntlich gibt es Lehrwahrheiten, deren Einschärfungen nicht genug wiederholt werden können; es erwirbt sich daher derjenige auch ein Verdienst, der nicht der Erste ist, welcher sie verbreitet.

F. X. Mezler's
vermischte Schriften, pag. 9.

PARENTIBUS.

Procemium.

Cum lex academica medico tyroni cursu studiorum suorum quinquenni rite absoluto, tentaminibusque rigorosis legitime depositis, ut, antequam Laurea Doctoris suprema ornaretur, de objecto quodam ex universae medicinae ramo aliquo disserat, sermonemque faciat, jubeat, etiam ego mori jam antiquitus recepto obedientiam recusare non possum et *„morbos neonatorum"* selegi, quorum symptomata et curandi modos in genere adumbrare studui, quos imbecilles conatus celeberrimi D. D. Professoris Cel. **Schwarzer** enchiridion artis obstetriciae summis ubique laudibus exornatum qua lux et dux adjuvavit. Restat solummodo, lectorem benevolum enixe rogare, ut tenuem huncce laborem tamquam primum exiguarum virium periculum excuset et clementer consideret, me non ex pruritu scribendi, sed ex lege hancce tractatiunculam suscepisse.

Auctor.

D e f i n i t i o.

Morborum neonatorum titulo omnes comprehenduntur status pathologici, qui partim ex abnormi vitae foetilis processu propullulantes, partim in peculiari physica neonatorum natura radicati conditionibus, quibus universus organismus hac in vitae periodo distinguitur, propriis progeniti existunt, quique in adultis ob mutatas vitae processus rationes oriri nequeunt.

Generalia de neonatorum morbis.

Recens nati jam innumeris plectuntur vitiis ex abnormi vita foetili emanatis. — Foetum adhuc utero ma-

terno reclusum vitio geniturae adeoque modo haereditario, noxis a matre profectis atque externis aegrotare et conformationis potissimum, qua tota illius vita occupatur, vitia pati constat, quemadmodum partium nonnullarum excessum aut defectum, voluminis, formae, situs et nexus aberrationes saepe monstrosas, hydropem, icterum, tubercula pulmonum, glandularum meseraicarum tumores, subinde imo variolas, morbillos aliasque eruptiones cutaneas, praeterea cum contusionibus quoque, vulneribus ossium fracturis etc. in lucem prodire. In vitia ergo conformationis foetum jam facile praecipitatur, sed et ejusdem vitae insidiantur morbi diversi, praecipue animi adfectus et pathemata, quum uterus foetum ita ambiat, veluti nos ambiunt vehicula potentiarum naturae externae vivificantium aequarum et iniquarum. Infantes polyhaemia, corpusculi teneritudine, mollitie, laxitate, vitae vi exigua, sensibilitate ac irritabilitate eximiis vita universim vegetativa plurimum praedominante, evolvendis cerebro sensuumque organis praecipue occupata, in morbos generatim valde proclives sunt; specialius in cutis atque systematis lymphatici, gastrici, cerebri adfectiones, quales sunt: vomitus, diarrhoea; alvi obstipatio, acidum, aphtae, status pituitosus, helminthiasis, dyspepsia, scrofulae, rhachitis, tabes, debilitas vitae, dolores, spasmi clonici, febres, hydrencephalus, hydrorhachia; intertrigo, strophulus, crusta lactea, achores, telae cellulosae inflammatio, induratio etc. Recens nati ergo ex magnis, quas experiuntur, vitae mutationibus, dum respiratio inchoatur, circulus sanguinis cor inter et pulmones aperitur, hepatis functio mutatur, organa gastrica digestionis munus suscipiunt, sensus excitantur, magnam nanciscuntur in morbos facilitatem. Enixus, antequam sufficienter maturuerit, uberibus matris adfixus est, cujus aerumnis, curis, venere, gula, algore, aliisque mille modis prolicitus acor infantis sanitatem facile conte-

rit; facilius edax et inhumana consuetudo, nec indomitis propria bestiis, ubera denegandi. Excurrens evolutio prolicit functionem dentitionis, qua vita sensilis et irritabilis ratione vellicatur multiplici. Quibus omnibus morborum neonatos torquentium ingens caterva elucescit.

Divisio.

Divisio congrua tribus statuitur classibus, quarum 1. vitia complectitur primae formationis, i. e. illos status morbosos, qui vitae foetilis a tramite normali abludentis sequelae veniunt considerandae; 2. alios continet, qui immediatos partus et omnium proinde prodeuntium mutationum sistunt effectus; 3. denique reliquos comprehendit morbos, quorum evolutio a nativitatis momento ad lactationis temporis usque finem contingit.

CAPUT PRIMUM.

De morbis neonatorum ex processu vitae foetilis morboso scaturientibus.

A. *Hydropes congeniti.*

1. *Hydrocephalus.* Distinguitur proxime in externum et internum:

a) Externus vel cellularis, vel aponeuroticus, vel periosticus nuncupatur, prouti humorum collectionem, vel sub integumento communi in textu celluloso ortam, vel galeam aponeuroticam inter et pericranium, vel cranium inter et pericranium formatam sistit. Cellularis tumorem exhibet mollem, indolorificum, digiti pressioni foveam relinquendo cedentem, oedematosum, magis diffusum, ad palpebras saepe et aures usque semet extendentem. Aponeurotici tumor magis cernitur circumscriptus, durior, tensus, nonnunquam fluctuatione manifesta notatus, sub pressione dolens. Periosticus signis peculiaribus vix distinguendus consuetim cum hy-

drocephalo interno conjunctus occurrit. Hydrocephalus externus in genere est connatus, interdum sequela violentiae cujusdam sub partu difficili aut longe durante perpessae. Raro post partum oritur refrigerio, cutis et imprimis capitis efflorescentiis repulsis aut retrogressis, insectorum morsibus productus. Tractamen hydrocephali externi consistit in fomentis calidis, ex diversis remediis aromaticis, cum vino aut cremato, spiritu vini, spiritu camphorato, aceto vini, aceto scillitico paratis, quibus adminiculis pharmaceuticis, compressione levi capitis non neglecta, frequenter dissolutio impetratur, fluido accumulato, resorptione alacriori reddita, dispulso. Morbo tamen memoratis remediis pertinaciter renitente, fluidum prius incisionum ope evacuari potest, accedente postea cura ante exposita. Remedia interna in illis tantummodo casibus locum invenient, ubi morbus adest universalis topico nexu causali junctus.

b) Hydrocephalus internus aeque triplici ratione quoad locum distinguendus, humorum collectionem sistit vel cranium inter et meninges, vel meninges inter et cerebri superficiem, vel in cerebri ipsius ventriculis accumulatam. Non raro foetus tenet, in utero adhuc reclusos, notabilem propterea partus difficultatem causans et; ubi perforatio evitari nequit, prolibus ipsam mortem inducens. Diagnosis morbi jam formati post partum nullis premitur difficultatibus, quum capitis volumen ultra normam amplificatum primo intuitu cognoscatur. Causa hydrocephali generatim considerati proxima est humorum serosorum, lymphaticorum, imo et puriformium effusio et accumulatio, cujus mole ac extensione pressio in cerebrum exercetur magna, cranii parietes distenduntur et membranarum adinstar bullosarum protruduntur.

Dispositio jam in vita haeret foetili ob cerebri vitam alacriorem huic periodo convenientem, majorem ad encephalon humorum affluxum provocantem. Formatio-

nem mali ipsam motus animi validiores gravidarum, ebriositas parentum, fibulatio abdominis sub graviditate arcta notabiliter adjuvare videntur. De hydrocephali interni prognosi quid sentiendum, ex illius historia tristi prodit. Hydropem cerebri ventriculorum acutum initio stadii secundi adhuc sanabilem esse *Formey* contendit. Quoad tractamen sequentia veniunt tentanda: Remedium principale sistit internus *digitalis*, *calomele* nuptae, dosibus parvis nec vomitum, nec vertiginem inferentibus absolvendus usus, quem adhuc suffulcire valent infrictiones mixtionis ex duabus *unguenti juniperi* partibus et una *unguenti mercurialis* compositae ad drachmam in caput capillis rasis instituendae, derivationes longius per tempus continuatae, balnea alcalina blande excitantia et perfusiones capitis frigidae. Symptomatum morbosorum decremento post triginta aut quadraginta dies feliciter contingente, *mercurii* usus externus aeque ac internus, ne perniciosa corpus tenerum exinde capiat detrimenta, restringatur, necesse est. Tentamina punctione ope lanceolae et iterata seri evacuatione morbum sanandi, in hydrocephalo interno summa circumspectione rarissimis in casibus desperatis instituantur, experientia huic methodo vix adnuente, quum plurimum exitum lethalem accelerari doceat. Magis proficua experiebatur capitis fasciarum ope instituta compressio. — Diaeta sit modice nutriens, digestu facilis, non calefaciens. —

2. *Hydrorhachia connata.* Est humorum indolis ut in hydrocephalo descriptae in specu vertebrali, frequentius intra velamenta rarissime in medulla spinali ipsa collectio. Connata plerumque cum imperfecta columnae vertebralis formatione incompleta vertebrarum singularum ossificatione (spina bifida, Rückenspalte) conjuncta occurrit et ejusdem ac immediate morbi velamenti externi seu duri medullae sistit effectum. Tumore manifestatur vel maxime regionem lumbalem, rarius cervicem

aut dorsum, rarissime columnam vertebralem totam ad os sacrum usque occupante, intra unam aut aliquot vertebras, ubi deficientibus processibus spinosis hiant, apparente molli elastico, sub pressione evanescente, hac vero cedente iterum prominente, variae formae ac magnitudinis, prouti hiatus ad unam aut plures vertebras semet extendit. Tumor mox e petiolo tenui pendens, mox lata basi insidens, profunda inspiratione et sub nisu ad alvum deponendam magis tenditur ac protruditur. Cutis tumorem obvestiens, colorem exhibet normalem et fluctuatio in tumore tangitur manifesta. Hydrorhachia non raro hydrencephalo nupta adest. Neonati morbo hoc adflicti situm dorsalem recusant et sub pressione tumoris momentana doloris edunt signa. Vulgares sequelae sunt: macies universalis, praecipue extremitatum inferiorum et debilitas, paralyses partiales dictarum extremitatum aut vesicae et ani sphincterum cum involuntariis lotii ac faecum evacuationibus. Hydrorhachia ad tempora usque recentiora fere ab omnibus artis medicae peritis insanabilis declarabatur. Omnia tentamina, externa et interna medicamentorum adplicatione facta, inutilia et fructu carentia reperiebantur. Tumoris incisio (Richter) lethalis semper evasit. Fascia apte adhibitae initio, nisi hydrocephalus simul adsit internus, remediorum spirituosorum et aquae saturninae adplicationes externae ad malum mitigandum et intumescentiam ulteriorem cohibendam conferre valent. Testantibus *Cooperi* experientiis morbi depellendi possibilitas confirmatur. Celeberrimus hicce medicus in Medico-chirurgical transactions. Vol. II. 1813. pag. 324. u. ff. plures enumerat casus, in quibus repetitarum fluidi evacuationum et tumoris totius compressionis continuatae et gradatim adauctae tentamina felici coronabantur eventu.

3. *Hydrocele connata* est humorum serosorum accumulatio in canali testium et funiculi spermatici vaginali oblongo notatum, a testibus ad annulum abdo-

minalem usque extensum. Canali vaginali in annuli abdominalis vicinitate nondum clauso sub situ neonatorum horizontali disparet tumor, fluido in abdominis cavum recurrente; situ tamen verticali iterum restituitur, quae phenomena in casibus, ubi canalis in annulo abdominali jam concrevit, deficiunt. Hydrocele morbum sistit non raro occurrentem, saepenumero tamen non agnitum aut praetervisum, quum partim certis in casibus, ut supra monuimus, situ neonatorum, qui consuetim observatur, horizontali malum dispareat, partim naturae vi medicatrici alacriter vigente frequentius fluidi resorptio et coctio, parietumque canalis concretio contingat. Quoad originem nexu causali conjunctus est cum testium ex abdominis cavo descensu, impedita nimirum post hac, canalis vaginalis partis superioris obliteratione. In tractamine respectus habeatur oportet, numne fluidum accumulatum cum abdominis cavo communicet, nec ne. — Priori casu praesente, pressione moderata et congrua fluidum annulum versus abdominalem urgeatur et fascia hernialis apte adplicetur, qua ratione non solum fluidi recursus impeditur, sed etiam canalis tunicae vaginalis concretio adjuvatur. Aliis in casibus, ubi canalis supra jam obliteratus existit, tumoris dissolutio fomentis resorptionem intendentibus, cui scopo herbae diversae aromaticae, salis ammoniaci in aceto solutiones, aqua vulneraria Thedeni inserviunt, nonnunquam impetratur. Omnibus hisce remediis absque effectu in usum tractis, secundum *Desaulti* methodum fluidum punctionis ope mox evacuetur, vinum rubrum adstringens pluries injiciatur, ut concretio per inflammationem injectionibus hisce excitatam perficiatur, et vinculum herniale arcte inhaerens ad commodandum adplicetur.

B. *Vitia formationis primae sensu strictiori.*

1. Vitia oculorum connata sequentia neonatos deformant infelices: oculi utriusque aut palpebrarum de-

fectus; ankyloblepharon i. e. concretio marginum palpebrarum; symblepharon i. e. concretio bulbi cum interna palpebrarum facie; coloboma palpebrarum; oculus leporinus i. e. impotentia oculos claudendi ob corrugationem, brevitatem et contractionem palpebrarum secus normalium; defectus totalis aut partialis iridis, hujusve coloboma, pupillae atresia, retinae et nervi optici defectus, hydrops oculi, cataracta congenita. Quorum vitiorum medelam faciendam saepe impossibilem esse intelligitur. Auxilia artis ophthalmiatricae adminiculis praestanda fusius hicce pertractare limites excederent praefixos. —

2. *Atresia narium.* Frequentius quidem combustionum et inflammationum variarum sequela, interdum tamen congenita occurrit, consistens in varii gradus narium occlusione — a completa obliteratione usque ad solas partiales coarctationes — ita ut respirandi facultas mox difficilior et anhelans reddita, mox penitus denegata sit, impedita insimul facultate et laeso olfactus sensu in naso deformato. Coarctatio aut partialis tantummodo concretio cognoscitur ex alarum nasi extensione sub exspiratione fortiori ad locum usque coalitum producta. Operatio, in qua unicum administrandum datur subsidium, discissione partium coalitarum, atque conatu, aperturam artificialem conservandi, absolvitur omnibus in casibus indicata, in quibus respiratio per nasum sublata est, vel nasus hoc vitio deformatur.

3. *Concretio meatus auditorii externi.* Etiam crebrius phlogosium diversarum post partum exortarum sequela, nonnunquam et connata occurrit. Meatus auditorius externus aut duntaxat angustatus est aut perfecte obliteratus, quae occlusio aut per membranam aut per carnosam luxuriationem producitur et vel in apertura meatus auditorii externa, vel in hujusce medio vel in tympani vicinitate existit. Haec formationis vitia semper majori minorive adsunt juncta totius auditus or-

gani formae vitiosae. Operatio, quae ubique indicata est, si meatus auditorii concretio per se deficiente quavis alia organi auditorii labe, surditatem aut baryecoiam gignit, in tempus futurum, dum infantes loqui inchoant, differatur oportet, quia violatio, quacum est conjuncta, teneram neonatorum organisationem nimis vehementer affligere queat.

4. *Vitia formationis labiorum et palati.* Nomine labii leporini deformatio insignitur peculiaris non raro occurrens, consistens in hiatu, ut leporibus normale, in labio superiore, rarius et inferiore congenito, cujus extensio varii est gradus. Nonnunquam unus tantummodo adest hiatus in labii medio consuetim adparens, alias vero dupplex. Nonnullis in casibus vitium simplicem solum offert fissuram; alias, praesertim si duplex adest hiatus, substantiae jactura posita est. Labium leporinum, qua solus labii hiatus, ceteris partibus adfinibus normaliter constructis, existens nunquam periculosum, plurimis in casibus penitus tollendum. Quodsi vero os maxillare superius et palatum durum quoque exhibent fissuras — faux lupina — deformatio adest immutabilis infantis mortem non raro causans. Praeter deformationem vitia haec nominata plura adhuc inducunt incommoda, quae sunt: impedimenta in sugendo et deglutiendo, serius in masticando, et in literarum labialium enuntiatione. Huic vitio tollendo tantummodo operatio par est, cujus conamina eo tendunt, ut partes marginum callosae sectione separentur et removeantur, et labia vulneris ope fili, aciculas inductas circumdantis (sutura circumvoluta) ad organicam concretionem invitandam et perficiendam sibi invicem approximentur. Neonati, quorum hoc vitio praesente suctionis et deglutitionis functiones redduntur impossibiles, sine mora non cunctando operationi subjiciantur oportet, quae aliis in casibus circunstamtiis non urgentibus ad secundum usque aetatis mensem prolongetur.

5. *Vitia formationis linguae. a)* Adhaesio linguae (Ankyloglossum) vitiis crebro inveniendis adnumeranda in eo consistit, quod frenulum linguae vel nimis breve existat vel usque ad apicem linguae semet extendat, suctioni ac deglutitioni impedimenta ponendo, cohibito nimirum linguae libero motu, ita ut ex oris cavo protendi nequeat. Quod vitium facile cognoscitur, si infans naribus clausis ad os aperiendum cogitur, ubidum linguae apex deorsum cernitur directa, aut si infans mammae maternae pupillam prehendere nequit, quum frustra linguam palato approximandi conamine desudat, aut si infantis impotentia, potus propinatos sorbendi et deglutiendi, detegitur. Solutio sic dicta frenuli linguae operatio est haud ardue perficienda et nullo, si caute et prudenter instituitur, periculo stipata. Infantis situm dorsalem observantis nares manuum ope clauduntur, ut oris cavum aperiat; quo aperto spattula fissa sub lingua inducitur et frenulum cum forfice, cujus apex obtusa est, dissecatur. Sanguinis profluvium forsan insequens vino compescitur, atque ad impediendam novam concretionem mellis rosarum pauxillum infantis ori imponitur.

b) Glossocele s. *paraglossa.* Est prolapsus linguae ex abnormi frenuli linguae in longitudinis dimensionem augmento ortus, quo sugendi facultas impeditur et infans suffocandi periculo exponitur. Radicaliter hoc vitium auferi nequit. Ad suffocationem praecavendam infanti mox post evigilationem semper mammae porrigantur.

c) Ranula consistit in tumore indolorifico albido variae formae ac magnitudinis penes linguae frenulum sito, infantem sugendi facultate privante, imo, si majoris est ambitus, suffocandi periculum inducente. Cujus originis causa in occlusione et extensione ductus Wartoniani haeret. Tractamen evacuatione fluidi tumore reclusi et praecautione recentis iterum ductus occlusionis ope incisionis et viciae deinde inducendae perficitur, aut totum saccum destruendo absolvitur, quod

cauterisatione marginum cum lapide infernali ad inflammationem adhaesivam invitandam fit.

6. *Vitiosa cordis formatio.* Cyanosis s. morbus caeruleus (Blausucht) raro obveniens morbus colore totius corporis caeruleo, praesertim in facie, digitorum apicibus et unguibus comparente notatur, consuetim mox post partum exsurgens. Coloratio haecce caerulea dependet a sanguinis oxygenatione ejusdemque per pulmones circulatione impeditis et sublatis, quum per abnormem cordis cavitatum communicationem (ob foramen ovale vitiose patens, ductum Botalli arteriosum non clausum et ob partialem aut totalem septi atriorum et ventriculorum defectum) tanta in sanguinis circulo minori gignetur disharmonia, ut venositatis in sanguine universo praepondium non exoriri nequeat. Morbus omnia spernit sanationis perfectae tentamina. Neonati morbo hoc deleterio detenti vix ultra paucos menses miseri vivunt et exigua illorum, quibus mors pro tempore pepercit, pars pueritiae aetatem non vident. Mors consuetim sub paroxysmis suffocationem semper minantibus intrat. — Pauca, quibus ars pollet, palliativa tractaminis conamina in praecavendos et mitigandos dirigenda veniunt paroxysmos. Qui ut praecaveantur, eo adlaborandum est, ut sanguinis circulatio aeque ac respiratio libere procedant, quare omnia arcte corpus cingentia vestimenta seponantur et evitentur, quaevis alvi retentio cohibeatur et aëris oxygenio divitis, puri influxu concesso, indoles sanguinis venosa oppugnetur, arteriosa excolatur. Paroxysmis mitigandis inserviunt sinapismi suris imponendi, clysmata leniter aperientia, scrobiculi cordis cum aqua adspersio, corporis totius frictio, lotiones cum aceto, et magna anxietate torquente fortique cardiopalmo praesente hirudinis unius alterutriusve adplicatio in cordis regione. Goelis balnea alcalina fortiora et chamomillarum infusum commendat.

7. *Herniae congenitae: a) Encephalocele* (Hirn-

bruch) tumore se prodit in variis capitis regionibus occurrente, escensu partis cerebri per aperturam in cranii ossibus abnormem sub integumento externo contingente producto, circumscripto et indolorifico, pressione minuendo, imo disparente, infantis clamore adaugendo, ad tactum molli, pulsationem cerebro peculiarem exhibente. Pressione in tumorem fortiori continuata, convulsiones excitantur, imo apoplexia insequitur. Cutis tumorem obvestiens, nullas offert coloris mutationes. Raro encephalocele per suturas; plurimum per abnormem ossis cujusdam ex primae formationis vitio relictam aperturam protrusa invenitur. Magnitudo et forma tumoris valde differentes cernuntur, a magnitudine ovi columbini ad pugni extensionem. Diversis quoque apparet in locis, frequentissime in ossibus parietalibus observabatur. Herniae tales cerebri majoris ambitus generatim insanabiles, brevi fiunt lethales. Auxilium ferendi possibilitatem tantummodo herniae extensionis exiguae concedunt, quarum sanatio caute peragenda herniae repositione et ejusdem restitutione pressionis ope continuata impedienda tentari potest, donec usque ossium fissura disparuerit, concretione perfecta auxiliatrice. Haec pressio ab initio tantummodo lenis exerceatur summma circumspectione gradatim adaugenda, quia secus symptomata soporis, convulsionum, paralysium insequuntur, infanti mortem inducendo paria.

b) Omphalocele (Nabelbruch) consistit in organorum abdominalium per annulum, qui patens manebat, umbilicalem progressione, tumore elastico et circumscripto notata, consuetim facile reponenda. Duplex est, vel connatum, vel post partum acquisitum. Connatum latiori insidet basi, majoris est ambitus, qua verum formationis organicae inhibitae vitium contemplandum. *Tractamen*: Organa prolapsa reponantur et in situ normali tam diu artis adminiculis retineantur, usque dum annulus

umbilicalis resistendi facultate invaluerit, quae ultima tractaminis pars corporum conice formatorum in locum herniae repositae prementium ope absolvitur. Cura tamen radicali, ut consuetim contingit, non feliciter impetranda, ligatura commendatur.

c. *Hernia inguinalis* (Leistenbruch) est organorum abdominalium excessus per vitiose patentem canalem tunicae vaginalis, in pueris herniam scrotalem, in puellis herniam labii pudendi externi causans. Cognoscuntur ex subito incremento sub clamore, tussi aut nixu, ex fluctuationis defectu, et repositionis possibilitate. Tractamen repositione herniae ejusdemque retentione artificiali fasciae hernialis ope impetranda perficitur, remediorum adstringentium adplicatione congrue adjuvandum. Peculiaris status pathologicus, herniae inguinali consimilis, probe distinguendus est, quum tractamine indigeat longe differente, nempe sic dictum parochidium (Leistenhode), ubi testis unus alterve viam per canalem inquinalem permeando in annulo abdominali haerens remansit. Dignoscitur tumore, tactum ut bubones feriente, continuo, aut solum subpressione dolente, et testis lateris correspondentis in scroto defectu. Cura per symptomatum majorem minoremve vehementiam definitur. Dolore non magno vexante cataplasmatum emollientium adplicatio, infrictiones cum oleo calefacto et balnea emollientia sufficiunt. Inflammatione tamen jam exorta, hirudines in auxilium vocentur, quorum adplicationem fomentationes tepidae ex aqua saturnina et mica panis excipiant.

8. *Vitia formationis partium genitalium. a) Hermaphrodismus* (Zwitterbildung) est evolutio genitalium a norma tantopere deflectens, ut, quemadmodum imis regni organici entibus genitalia distincta nulla sunt, character sexualis nullus evidenter agnosci, aut primo saltem intuitu de sexus charactere aperto suspicio moveri queat. Talibus abnormitatibus sequentes naturae lusus

adnumerantur: α) In maribus, qui Androgyni propterea nominantur, glans non perforata, penis pusillus, scroti fissio, testium in abdominis cavi aut canali inguinali remansio (Crypsorchides, Testicondi). β) In femellis, Androgynarum nomine tunc venientibus, clitoridis modum excedens evolutio, et nymphae tantopere explicatae, ut scroti aemulent formam. Hermaphroditarum perfectorum i. e. individuorum, quorum genitalia complexum partium sexualium utriusque sexus exhibent et functionibus utrisque fungi possunt, stirps humana non monstrat exempla.

b) *Urethrae ostium vitiosum* tantummodo maribus convenit, qui hypospadiaei nuncupantur, si urethrae ostium in penis facie inferiori; et anaspadiaei, si in facie superiore patet. Operationis methodi projectae maxima ex parte absque effectu secundo reperiebantur. —

c) *Atresia urethrae* in neonatis sexus utriusque occurrere potest. In maribus apertura urethrae externa vel tenui membrana, urinae affluxu protendenda, cernitur clausa, vel canalis pars longior est obliterata, ita ut in glande nullum existat ostii vestigium. In femellis urethra, nisi vitia grandiora primae formationis coëxistant, in regula membranula tenui occlusa detegitur praesente insimul labiorum pudendorum concretione. — *Tractamen.* Membrana urethrae ostium externum occludens discinditur; ubi vero glans integra imperforata et nulla alia urethrae apertura adest, urethra in inferiore glandis parte perfoditur et concretio nova per filamenta cerato impraegnata inducta cohibetur. Quodsi artis tentamina frustra instituantur, urina viam sibi nonnunquam aperit per urachum ex novo patentem, aut per intestinum rectum. Quae si non contingunt, vitium lethale mox evadit.

d) *Atresia vaginae* consuetim per hymenis imperforationem producta plurimum primis vitae annis prae-

tervidetur et ingruente pubertatis tempore demum agnoscitur ob fluxus menstrualis impedimentum.

9. *Atresia ani.* Ani atresia non raro in neonatis observatur varii gradus, ita, ut sequentes statuere queamus divisiones: *a)* praeclusio ani per membranam; *b)* talis ejusdem gradus, ut tantummodo plagula exigua albida ani locus significetur; *c)* nec ullum ani vestigium; *d)* concretio ani in intestinum usque rectum protracta; *e)* intestini recti occlusio supra ani aperturam patentem; *f)* intestini recti defectus. Symptomata omnibus hisce vitiis, meconii evacuationem plane impedientibus, producta sunt sequentia: Neonatus inquietus saepe clamat, abdomen ejusdem intumescens, durius tangitur et tensum, dolorificum; corporis superficies sub vehementi ad alvum deponendam nisu calore tingitur violaceo, imo livido, oculi protruduntur, spasmi et vomitus intrant, facies collabitur et omnia pectoris angoris signa illucescunt. Tractamen variat pro vario occlusionis modo: Membrana ani ostium praecludens incisura cruciformi discinditur, et laciniae sic formatae forficis ope separantur. Ubi concretio magis in superiore intestini recti parte existit, profundiores indicantur incisiones infundibuliformes et novae concretiones filamentis cerato obductis inducendis cohibeantur. Quodsi intestinum rectum non inveniatur, auxilium tantummodo in artificiali ano secundum Chirurgiae regulas aperiendo reservatum est; secus infantis mors inevitabilis.

10. *Formationes extremitatum vitiosae. a) Concretiones vel numerus major digitorum extremitatum superiorum et inferiorum* non raro ex haereditate proveniunt. Priores consuetim membrana avium natantium adinstar aut massa carnosa producuntur. Auxilium chirurgiae conamina ferunt discissione partium coalitarum et exarticulatione digitorum supervacaneorum.

b) Talipedes, sub quorum nomine variae pedum

deformationes comprehenduntur, sequentibus modificationibus distinguendae:

α) *Vari* i. e. talipedes introrsum versi, margine pedis interno cum digito magno elato, externo solo incumbente et planta pedis introrsum conversa. Introitus hoc vitio summe praegravatur pede margini solummodo externo suo innitente.

β) *Valgi.* i. e. talipedes extrorsum versi, pede directiones prioris vitii oppositas monstrante.

γ) *Talipedes nomine pedum planorum* (Plattfüsse) designati propriam sistunt formam, ubi dorsi pedis convexitas normalis aeque ac plantae pedis concavitas naturalis deficiunt, ita ut aeger tota pedis planitie solum premente intret.

δ) *Sic dicti equipedes* (Pferde- oder Spitzfüsse) consistunt in contractione tendinis achilleae calcem sursum trahente, quapropter aeger tantummodo cum anteriore pedis plantae parte incedere potest.

ε) *Pedes bovini* (Knoll- oder Stumpffüsse) contrarium sistit vitium, ubi pedis pars anterior cruri ita approximatur, ut calx deorsum et digiti sursum directi cernantur.

Quorum omnium primae formationes organicae vitiorum tractamen ad chirurgiae forum spectat.

CAPUT SECUNDUM.

De morbis neonatorum qua partus et mutationum cum partu semet evolventium effectibus.

1. *Asphyxia neonatorum.* Quilibet neonatorum licet vitiorum expers qua asphycticus erit considerandus, qui nulla aut debilia tantummodo explicat vitae signa, deficientibus tamen quibusvis mortis characteribus.

Asphyxia s. animi deliquium neonatorum in genere sub duplici oritur forma: *a)* asphyxia apoplectica s. livida e nimia vasorum sanguiferorum cerebri oppletione, laticis sanguinolenti circulationem sufferente originem

ducens; *b)* asphyxia syncoptica s. pallida, veram vitae debilitatem proximam ortus causam agnoscens.

Diagnosis. Asphyxiae apoplecticae signa sunt sequentia: facies turgida, caeruleo-rubra, rubro-livescens oculi rubicundi protuberantes, labia sublivida, lingua crassa, rigida, palato interdum adhaerens, cutis turgescens maculis caeruleis saepe notata, cordis et arteriarum umbilicalium pulsationis debilitas, imo, sed raro defectus. Asphyxiae syncopticae vero symptomata sunt: faciei et totius consuetim male nutriti corporis pallor, cutis flaccida, laxa, facies collapsa, maxilla inferior dependens, extremitates laxae et frigentes, algentes, ani ostium late patens, arteriarum et cordis pulsationes deficientes.

Aetiologia. Asphyxia apoplectica praeprimis neonatos affligit bene nutritos, succi plenos, et sequentibus causis excitatur, quae sunt: pressio capitis in pelvi longius per tempus fixe haerentis vehemens et continuata partus nimis velociter absoluti, partus faciales nimis tarde procedentes, funiculus umbilicalis per collum infantis circumvolutus, ejusdem prolapsus penes infantis pedes aut clunes et exinde orta compressio incarceratio, ejusdem ligatura ante respirationis introitum facta, muci in ore, naso aut larynge accumulationes, respirationi obstacula ponentes. Asphyxia vero syncoptica infantes male nutritos, debiles ante legitimum graviditatis terminum utero enixos plectere solet, excitata per nimiam capitis sub partubus difficilioribus compressionem, funiculi umbilicalis disruptionem, placentam praeviam, haemorrhagias, per medullae spinalis sub partu, pedibus praeviis contingente, extensionem etc.; et nonnunquam apoplecticam excipere consuevit.

Prognosis in genere eo infaustior est statuenda, quo longius jam per tempus status asphycticus duraverat auxilio congruo deficiente. Asphyxia syncoptica summo

stipatur periculo, et infantes sexus sequioris facilius reviviscere fertur, quam mares, mortis consuetim praeda.

Tractamen. Asphyxia recens natorum curam pro origine diversa poscit differentem. Ubi (in Asphyxia apoplectica) facies neonati turget, caeruleo-rubra aut livida, maxillis spastice sibi adpressis, ubi ipse robustus ac bene nutritus, mater sana ac vegeta conspiciuntur, partusque sine notabili sanguinis dispendio absolutus, protractus vero fuit et admodum laboriosus: asphyxiae nonnisi fictitia subest debilitas, et quidem status apoplexiae lethali accensendae idoneus. Funiculus umbilicalis illico rescindendus, et, antequam subligetur, uno, duobus, imo tribus cochlearibus sanguis ex eo extricandus, post sicuti sequente in casu procedendum est. Ubi nempe e contrario debilitas, macilentia, laxitas, pallor, facies collapsa neonati, sanguinis jactura e funiculo umbilicali fors jam resecto, ubi matris affectiones morbosae, cachecticusgravidae status de vera virium debilitate (asphyxia syncoptica) testantur, funiculum umbilicalem, ut sanguis adhuc proli advehatur non statim subligare, sed os faciesque a pituita ope digiti depurare, faciem pectusque aqua fortiter conspergere, thoracem ac abdomen, alternatim comprimere, pulmonibus aërem inflare, prolem vertere saepius ac pronare, odoratum submittere naribus aromaticum, balneum adhibere calidum pauxillo vini aut spiritus vini remixtum, inque hoc abdomen, dorsum, membra sedulo fricare opus est.

Vitae revertentis signa sunt: transversio coloris cutis lividae aut pallidae in colorem carniconformem, laxitatis extremitatum imminutio, cordis et funiculi umbilicalis pulsatio exsurgens, motus convulsivi exigui, trementes oris et musculorum pectoris, respiratio primo anhelans, singultus, manuum ac pedum motiones, et denique clamoris evigilatio. Infanti similia signa edenti atque deglutire valenti, infusi melissae aut florum cha-

momillae cochlearia aliquot praebeantur sorbilanda, dorsum atque extremitates inferiores fluido quidpiam aromatico iteratim leniter fricando laventur; dein puerperae tradatur matri neonatus, ut calore uberibusque ejusdem foveatur, refocilletur, alatur.

In applicatione remediorum auxiliatricum vitam neonatorum asphycticorum resuscitandi gratia selectorum sequentes observandae sunt regulae: 1. Cavendum est ab omni festinatione praecoci, ne dormiens tantum et gliscens vitae fomes penitus exstinguatur; potius cum quieta considerantia reactiones organismi exspectentur oportet; 2. semper cum remediis lenioribus inchoandum et gradatim ad fortiora et magis irritantia transgressus faciendus, donec usque reactio assurgat; 3. sub remedii unius usu aliud jam praeparetur; 4. vitam revocandi tentamina ad vitae signorum usque reditum, qui non raro conamina plures (imo quinque, sex) per horas protracta demum sequitur, indefessa cum industria et constantia continuentur necesse est. 5. Comparentibus vitae evigilantis vestigiis consideranter ad plenam usque vitae functionum restitutionem cum remediis hucusque feliciter adhibitis pergatur, ut recidiva praecaveatur. 6. Tandem, quodsi conamine vitam resuscitandi jam plures per horas frustra continuato nulla vitae regredientis assurgerent signa, infans nondum vere mortuus declaretur, sed in lectum transportetur calefactum, capite elato uni alterove incumbens lateri, diligenter observetur, ut vitae vestigia fors evigilantia artis adminiculis suffulciri queant.

2. *Notabiles capitis et clunium tumores oedematosi.* Si propter capitis infantilis volumen normam excedens aut pelveos matris angustiam partus difficilior redditur et tardius procedit, ob longam capitis in pelvi commorationem ejusque compressionem tumor capitis oritur notabilis oedematosus, dolores, inquietudinem et agrypniam causans et transgressum in inflammationem

suppurationemque subsequam minans. Iisdem sub circumstantiis, si partus clunibus praeviis absolvitur, similis clunium et genitalium intumescentia formatur. Omnes tales tumores colorem exhibent fuscum, insigniter prominentes, ad tactum molles, pulti similes. Tractamen resorptionis processum habet intendendum fomentorum tepidorum aromaticorum et spirituosorum applicatione assequendum, ut dissolutio tumoris mox impetretur. Suppuratione nihilominus intrante, cataplasmatibus emollientibus talibusque emplastris haec acceleretur, incisioque fiat, dum aperte fluctuatio apparet.

3. *Echinoma capitis s. cephalaematoma.* Est accumulatio sanguinis effusi cranium inter et pericranium collecti venarum plurium ad sinum quemdam pertinentium rexi producta consuetim secunda vel quarta post partum die demum apparens. Frequentius partuum faciliorum, quam difficilium est sequela, bregmatis et temporum ossibus insidet, plurimum lateris dextri, rarius occiput premens, magis circumscripta, quam simplex prius descriptus capitis tumor, plerumque indolorificus, tensus, modicam exhibens fluctuationem, a cerebri hernia, quacum confundi queat, in eo differens, quod pressione facta neque tumoris imminutio producatur, neque symptomata soporosa, ut in hernia proveniunt, excitetur. Quodsi capitis echinoma sibi ipsi commissum manet, transgressus in suppurationem raro evitandus et praecavendus, cranii ossium necrosim oriundam minatur, mortem sub apoplecticis phaenomenis parem. Tractatio eo tendat, necesse est, ut resorptione intensiore reddita sanguis effusus removeatur, aut, quodsi tali ratione evacuatio non contingat, tumor ipse cultro aperiatur, suppuratione sanationem perfectam invitando. Remedia resorptionis gratia in usum vocantur sequentia: praesente corporis infantilis laxitate decocta vinosa corticum adstringentium, ut corticis peruviani, quercus, ulmi, et infricationes cum spirituosis, ubi vero infantes

robustiores hoc malo plectuntur, characterem magis erethicum exprimente, melius conducunt epithemata ex aqua Goulardi, salis ammoniaci solutione, aceto diluto, tandem inunctiones unguenti mercurialis. Quibus dissolutionem impetrandi tentamina octo vel decem per dies continuentur, et si resolutio non obtinetur, ad cultrum confugiatur. Methodus, quam Goelis commendavit, tumorem caustici cujusdam ope aperiendum esse docens, nullos hucusque praebuit effectus salubres.

4. *Impressiones cranii ejusdemque ossium exageratio (Eindrücke und Verschiebung der Schädelknochen.)* Propter disproportionem mechanicam cranii ossa, si partus tardius procedit, nonnunquam in suturis et fontanellis tantas quoad situm experiuntur mutationes, ut capitis forma obliqua, elongata et acuminata evadat. Tumore consuetim aut echinomate hoc malum occurrit complicatum. Naturae medicatricis vi vigente in regula haec deformatio exaequatur, et quodvis artis auxilium supervacaneum, imo nociferum est.

5. *Intumescentia et indurationes mammarum.* Non solum in neonatis sexus foeminei, sed etiam in pueris post partum interdum mammae tumidae reperiuntur, et non raro notabiliter induratae, humorem lymphaticum lacti similem continentes. Tumor per se fere nullius momenti, tamen si vilipensus negligitur, in inflammationem transit et suppurationem, qua mammae puellarum futurae, cui destinatae sunt, functioni peragendae impares redduntur. Tractamen variat pro tumoris magnitudine et pro praesentia vel absentia inflammationis. Intumescentiae ambitus minoris et phlogosi adhuc carentes caloris ope sicci resolvuntur. Majores, tensiores et dolorifici praeterea adhuc exposcunt humectationes sum oleo amygdalarum aut hyoscyami. Phlogosi jam evidenter explicata, et transgressu in suppurationem non amplius praecavendo suppuratio cataplasmatibus emollientibus adjuvetur. Abscessus apertio natu-

rae committatur. Indurationes remanentes, postquam phlogosis perfecte fuerit dispulsa, inunctionibus cum unguento mercuriali cinereo vel emplastri cujusdam resolutionem promovendo paris adplicatione resolvere interest.

6. *Icterus neonatorum.* Morbus est frequentissime neonatos infestans, consuetim tertio, quarto aut septimo post partum die apparens, coloratione primo in facie, in bulbi conjunctiva et in alis narium apparente, flavescente, gradatim per omnem cutis superficiem semet diffundente se prodens, cum urinis flavo - bruneis chartam albam aut linteum immissum croceo tingentibus colore. Coenesthesis neonatorum vix hoc morbo turbatur, qui consuetim sex novemve diebus elapsis disparet. Neonati in icterum dispositi sunt ob hepatis functionis praepondium, cutisque teneritudinem, quae partu ingruente mox summe alteratur. Causae excitantes occasionales sunt: ligatura et dissectura funiculi umbilicalis antequam respiratio fuerit perfecte explicata, abdominis compressio, refrigeratio, alimentorum incongruorum usus, alvi obstipatio, matris aut nutricis errores diaetetici. Neonatorum icterus non gravis esse solet momenti. Therapia icteri, causis remotis, bilis in sanguine abundantis evacuationem et cutis functionis normalis restitutionem habet respiciendas. Bilis copia minuitur, clysterum applicatione, remediis eccoproticis, ut: syrupo mannato aut cichorei cum rheo, tali dosi porrigendis, ut quotidie ter quaterve alvus moveatur. Cutis functio intenditur balneis tepidis saepius repetitis addito vino aut herbarum aromaticarum infuso. Balnea, quae Boër commendavit, frigida aeque ac hirudines a Capuron laudati oblivioni tradantur secundum celeberrimi D. Professoris Schwarzer effatum. Hepatitide eodem tempore praesente interne calomelanos doses restrictae propinentur et externe illinitiones cum oleo hyoscyami et inunctiones cum unguento mercuriali cinereo in hepatis regionem instituantur.

CAPUT TERTIUM.

De morbis neonatorum, quorum evolutio a nativitatis momento ad lactationis temporis usque finem contingit.

1. *Inflammationes. — a) Blepharitis et ophthalmitis.* Sub primae vel secundae post partum hebdomadis decursu morbus primordia sumere solet intumescentia palpebrarum, quarum margines rubescere incipiunt et glandulae Meibomianae majorem muci copiam secernunt, quo palpebrae conglutinantur; serius inflammatio proserpit ad bulbi conjunctivam, intrat magna photophobia et crassae, puriformis materiae, interdum sanguine mixtae, saepe ingens quantitas ex oculorum angulis promanat. Frequens hujus morbi in infantibus origo fontem agnoscit mutationem vitae rationum post partum subito ortam et peculiaritatem hujus aetatis in summa organorum evolutione versantis. Causae excitantes sunt: oculorum refrigeratio per aquam frigidam, lotiones incautae cum spongia aspera et impura, lucis, flammae influxus, habitacula humida, aër corruptus, diversis quisquiliis, pulvere et fumo inquinatus proprium generans contagium; hinc malum vix nisi in brephotropheis et nosodochiis observatur; immediatus cum blennorrhoicis contactus, infectio sub partu ipso per fluxum matris album acrem. Decursus tardus esse consuevit, octo dierum imo et trium hebdomadum spatium permeans. Prognosis varia audit pro diverso morbi gradu, quem intensiorem corneae obscurationes, mediorum oculi suppurationes et destructiones, oculi totius deformationes excipiunt. Therapiae indicationes eo tendunt, ut momenta causalia arceantur, phlogosis tractetur, secreti liber defluxus promoveatur et sequelae tristes, imprimis oculi partium internarum adfectiones, praecaveantur. Causis ergo remotis et cohibitis oculi vicibus repetitis cum aqua frigida eluantur, epithemata frigida imponentur, primo

ex aqua pura, serius ex aqua saturnina vel vitrioli albi solutione cum tinctura opii etc. Phlogosi vehementer saeviente hirudines subter palpebram inferiorem adplicentur, vesicantia retro aures imponantur et calomelano, rheo et magnesia plures alviductiones provocentur. Morbo in chronicum decursum labente collyria e tenuibus solutionibus sublimati vel lapidis infernalis cum tinctura opii et similia locum inveniunt.

b) Erysipelas (Rothlauf) recentiore primum aevo in Galliae et Angliae nosodochiis et brephotropheis frequentius observatum singularem sistit formam, consuetim intra primas duodecim vitae septimanas comparentem. Frequentissime regionem umbilici et genitalia invadit, et initio exigua tantum plaga rubefit ac incalescit; rubor vero et calor auctus per abdomen et per totam imo corporis superficiem expanduntur cum partium magno tumore, tensione, rubedine profunda et livescente, dolore ad levissimam pressionem vehemente. Cum inflammatione febris intrat, cum cute arida, fervente, symptomatibus gastricis, doloribus colicis, alvo diarrhoica viridi, olente, raro obstipa, consociata. Aphthae et icterus non raro faciunt complicationem, et gradu mali altiore in funestum exitum tendente symptomata gravia nervosa, trismus speciatim et tetanus, accedunt. Erysipelatis neonatorum causae noscuntur: aër corruptus, effluviis putridis onustus, tumidus; funiculi umbilicalis ipsiusque umbilici tractamen rude; linteamina humida calidaque ad involvendos infantes adhibita, lotio faecibus immunda diutius non commutata; spurcities in genere; refrigeratio, victus neonatorum incongruus, malae indolis; matris aut nutricis varii errores diaetetici, iracundia, terror etc. Prognosis in genere est infausta, quum rarissimis tantummodo in casibus resolutio intret et erysipelas ad abdomen et genitalia in gangraenam, ad membra haerens in ulcerationem malignam, corrosivam magnum semper ostendit nisum

morte terminantem. Erysipelas neonatorum rationem medendi, inflammationis causae excitanti, sedi, magnitudini, indoli et cognito decursui, nec non febris gradui atque characteri perfecte ubique accomodatam exposcit. Quare penes therapiam topicam hirudinibus et fomentis siccis ex farina secalina cum pulvere chamomillarum et aliarum herbarum aromaticarum absolvendam universalis jam caute solvens et evacuans, jam sudorifera, jam incitans, in systema nervosum et cutaneum specialius directa, indicabitur.

2. *Efflorescentiae chronicae.* *a)* *Tinea capitis* (Gneis, Kopfgrind) essentialis est impetigo, afebrilis, contagiosa, capillitium occupans, forma vesicularum aut pustularum folliculosarum, pisiformium aut conicarum prurientium, quae in basi durae, rubrae vel cuti concolores, in apice molliores albescunt aut flavent ab humore contento, quem disruptae foramine ampliore exeso, aut excrescentiis parvis subrotundis obsesso, inaequali eructant foetentem ac viscidum, in crustam colore et crassitie diversam, mox friabilem, mollem et granosam, mox tenacem, duram coagulandum. Maxime in tineam disponunt infantes scrophulosi, humoribus turgidi, pituitosi, ventricosi. Originis causae, etiamsi non penitus eadem innotescant, in genere exsuperans ac vitiosa capitis secretio lymphatica subesse videtur. Tinea generatim absque auxilio sanatur, et tantummodo exposcit inunctionem totius crustae formatae cum miti oleo aut pinguedine vesperi peragendam, nec non depurationem capillitii per diligentem lotionem et pectinis usum saepius reiterandum.

b) *Crusta lactea* (Milchgrind, Milchschorf, Freisam, Ansprung, Vierziger) efflorescentia est contagiosa, solos fere infantes vexans, pustulis albidis ac flavis minimis consistens ex area rubra leviter inflammata genarum, temporum, imo frontis gregatim prodeuntibus, quae multum pruriunt, paucos post dies

ruptae humorem egerunt lentum, lymphaticum, in crustas tenues aut crassas, ex flavo luteas lacti per ignem siccato non absimiles, friabiles, condensandum. Decursus durationis indeterminatae est, denique disparens, quin cicatrices remaneant. Sub exsiccationis stadio urinae mittuntur turbidae, lotium felium redolentes. Essentia crustae lacteae humorum ad caput affluxus adauctus esse videtur et non raro derivans naturae effectus. Causae excitantes sunt: lactis matris aut nutricis adulti aut aequo crassiores, nec non pultis, jusculorum similiumque bene nutrientium ingurgitatio uberior, humorumque inde inducta abundantia, capitis tegumenta nimis calida etc. Cura primum in causas amovendas et infrigendas tendat, quare lactis matris ac nutricis qualitas prava, habito simul ad hujus vitii rationem respectu, per congruum matris aut nutricis tractamen corrigenda, vel, si hoc fieri nequit, infantibus ubera subtrahenda sunt. Ceterum in morbum ipsum debellandum interne antimonium crudum, aethiops antimonialis et mineralis, calomel sulfuri aurato antimonii nuptum, calomel cum magnesia vel lapidibus cancrorum et saccharo, dosibus caute refractis et praeeunte Stark viola tricolor summis laudibus prae caeteris elata, inserviunt. Remedia externa pro mitigando solum secreto acri et crustis duris emolliendis circumspecte in usum vocanda ad iteratas de die plagarum lotiones cum aquae, infuso malvae, decocto furfurum etc. tepidis cum aut sine lacte, ad crustarum illinitionem cum cremore lactis, oleo vel unguento quodam (althaeae) blando, restringatur oportet.

c) Aphthae (Schwämmchen, Mehlhund) exanthematicum sistunt membranae muciparae primarum viarum, cavi oris in specie, morbum contagiosum, plerumque symptomaticum, vesiculis albidis aut coloris margaritacei insignitum, basi profundae rubrae insidentibus limboque cinctis rubro, molestum excitantibus

ardorem, humore viscido aut puriformi repletis et hoc dimisso in crustas albo-griseas, fungosas (unde nomen germanicum) abeuntibus. Vesiculae in principio paucissimae discretae mox totum oris occupant cavum. Gradu intensiori oesophagus quoque vesiculis oppletur, imo ventriculus et ductus intestinalis, accedente tum febre cum diarrhoea et morbo pejus decurrente vesiculae fiunt discolores, lividae, nigrescentes, dolores summos prurientes in ore excitantes, suctionem et deglutitionem cohibentes, ptyalismum provocantes, et malo adhuc increscente inquietudinem summam, agrypniam, nutritionis turbas deleterias, imo mortem causare valentes. Causae praecipuae sunt: immundities, lac nimis pingue aut corruptum, matris errores diaetetici et animi pathemata lac alternantia, meconii evacuatio neglecta etc. Cura ante omnia noxas causales abigendas et diaetam munditiemque respiciendas habet, et porro cavum oris frequenter depuretur necesse est; quod fit ope digiti nudi vel tenui mollique obducti linteo, humectati et saccharo pulverato, aut melle, roob mororum, aut succo dauci sativi vel raparum expresso aut maxime usitatae miscelae uniciae unicus mellis rosarum vel roob mororum cum boracis Venetae pulv. drach. semis, integra immersi, qua pluribus per diem vicibus aphthae obliniuntur. Aphthis in ventriculo et intestinis comparentibus remedia mucosa: salep, althaea, gummi arabicum opponantur et tenesmus vehemens clysmatibus mucosis cum tinctura opii tractetur. Discoloribus et in ulcera atque gangraenam pronis conveniunt miscelae illiniendae ex syrupo mororum vel melle rosato cum tinctura myrrhae et guttis nonnullis acidi sulfurici aut muriatici diluti, atque internus acidorum usus cum corticis peruviani decocto.

d) Pemphigus (Schälblasen, Blasenausschlag) bullas refert orbiculares, lympha flavicante turgidas, area rubra cinctas, discretas magnitudinis pisi, nucis

avellanae, variis corporis partibus insidentes, fortiter prurientes et ardentes, quae post trium, quinque, raro octo dierum moram exsiccantur aut disrumpuntur, nonnunquam in ulcera cutanea humida, saepe diuturna, ulterius semper corrodentia terminantur. Causae pemphigi sunt: matris aut nutricis lac acre, secretionis biliosae turbae, spurcities, aër cubilium puerperarum corruptus. Cura secundum indicationes generales in causam excitantem et morbum ipsum dirigatur oportet. Huic diaeta et regimen concordent. Pruritus et ardor balneis mucosis, tepidis temperantur. Bullas forfice aperire nonnulli suadent.

e) *Intertrigo* (Wund- oder Frattsein) teneros plerumque vexat infantes in eo consistens, quod cutis in articulationum regione plicata, uti in fovea axillari et poplitea, inter femora, in ani circumferentia, collo etc. epidermide orbetur humores exsudans. Causae sunt spurcities, si urinae, sudor et squalor non diligenter abluduntur; porro et prava matris diaeta lac corrumpens, humores acres reddendo par. Cura summa munditie servanda, lotionibus diligenter iteratis cum aqua tepidula et lacte absolvitur. Praeterea fomenta ex lacte cum aquae calcareae pauxillo adplicari possunt. Remedium bene exsiccans est pulvis inspersioni serviens ex uncia semis lycopodii et drachma florum Zinci compositus, quemadmodum ad morbum debellandum eccoprotica proficua sunt.

f. *Comedones* (Mitesser). Quo nomine insigniuntur puncta parva, fusca, imo nigrescentia, in cute apparentia, et stagnatione materiei cujusdam tenacis in folliculis sebaceis oriunda, facta pressione sub forma corpusculi filiformis prorepentia, gradu majori ardorem et pruritum causantia, inquietudinem, emaciationem et tabem infantibus inducere valentia, quorum causae mundities neglecta, alimenta insalubria, praeprimis cibi farinacci sunt, quare hic morbus fere solum pauperes

inquinat. Balnea tepida iterata cum sale culinari, sapone vel herbis aromaticis, mundities diligenter servanda et victus melioris indolis summam ad comedones fugandos symbolam tribuunt.

3. *Morbi systematis gastrici.* Magna est, quae tenellos infantes vexat, morborum e ventriculi et tubi alimentaris functionum turbis scaturientium caterva. Praecipuae, quibus hae sanitatis laesiones semet manifestant, formae sunt: dolores colici, alvi obstipatio, vomitus et diarrhoea. Quod praedispositionem infantum in tales morbos attinet, fertilem detegimus talem partim in nutritionis ratione partu abacto subito alienata, partim in teneritudine digestionis organorum stimuli impatientium. Causis occasionalibus adnumerantur: ventriculi oppletio, matris aut nutricis lac vel nimis pingue, vel animi pathematibus alienatum, aut lacte materno denegato alimenta digestu difficilia, incongrua, potuum in fermentationem ruentium sorbilatio, abdominis refrigeratio, arcta cum fasciis constrictio etc. Saepius tamen incommoda gastrica symptomatica, alios morbos fontem agnoscentia, occurrunt.

a) Dolores colici, flatulentia, tormina. Sunt prima indigestionis et ventriculi debilitatis symptomata, inquietudine, morositate, gemitu infantum membra jactantium et ejulatione, abdominis flatuosa expansione, respiratione non raro impedita, semet manifestantia cum faecum viridium coagulatarum acida redolentium secessu et flatibus sursum deorsumque ruentibus. Sequelae sunt spasmi, tremores et convulsiones, et sub colica protracta et vehemente cuncta enteritidis symptomata.

In therapia facienda causae occasionales sunt enervandae et tubi alimentaris ventriculique functiones intendendae. Victus magis propinetur congruus, atque debilitate intestinorum et atonia praevalente usus tincturae rhei aquosae in connubio cum aqua aromatica in-

ternus, externe balnea ex chamomillis, fomenta aromatica talesque ad abdomen infrictiones prosunt. Refrigeratione praegressa cutis transpiratio promoveatur. Enteritis jam minans interno calomelanos et magnesiae usu et fomentis calidis forsanque hirudinibus abdomini imponendis debelletur.

6. *Alvi obstipatio.* Frequentius in prolibus occurrit, quae lacte materno denegato artificialiter nutriuntur, majoresque causare valet in neonatis, quam in adultis sequelas nocivas, ut inquietudinem, agrypniam, respirationis impedimenta, abdominis meteorismum, congestiones ad encephalon et in spasmos propensionem. Tractamen causam sublatentem semper respiciendo mox victum incongruum cum meliore mutandum, mox tubi alimentaris, si debilitas aut tarditas subsunt, alviductiones clysterum ope movendas habet; quibus impetratis organorum digestionis labes adhuc aquarum aromaticarum et extracto cum principio amaro blandiori gaudentium usu et abdominis frictionibus venit tollenda.

c) *Diarrhoea.* Quae hoc morbo ejiciuntur excrementa, diversissimae indolis esse queunt, mox coloris expertia, mox viridescentia, sanguinis striis notata, mox brunea, mucosa, intense foetentia, semper vero aquosa. Diarrhoea neonatorum maximi est momenti propter magnam, quae sub longiori duratione inducitur, virium exhaustionem et atrophiam cum febri depascente ingredientem. Cura, ut regula est ubivis princeps, in causas dirigatur oportet; quare si sordes gastricae et entericae eandem sustinent, diarrhoea, quae modica fluit, non statim quidem est sistenda, quae longius vero per tempus durans enervans evadit, jusculis carnosis cum ovi vitello, potibus mucilaginosis talibusque clysmatibus oppugnanda. Quodsi vero hisce remediis nondum ad silentium perducitur et organa digestoria magna jam debilitate afflicta sunt, medicamina

aromatica, amara et sic dicta cardiaca, ut decoctum salep cum aqua cinnamomi et syrupo, tenues solutiones extracti corticum aurantiorum et cascarillae cum prioribus jungantur. Ad tubum alimentarem summa jam cum virium jactura luctantem roborandum radix colombae princeps sistit remedium, si nulla, quod bene notandum, febris evoluta ejusdem usum vetat. Si diarrhoea phlogosi intestinorum membranae villosae lenta sustinetur, methodus antiphlogistica in auxilium vocetur, quibus in casibus acidum carbonicum, ut potio Riveri cum extracto hyoscyami maxime semet exhibuit proficuum.

d) Vomitus, in specie lactis expulsio, consuetissimis adnumerandus est infantum morbis, et, nisi vehementia excedit aut nimis frequenter e ventriculi oppletione oritur, non solum non nocet, sed potius salutaris evadit; secus tamen, etsi praeter lac adhuc mucus et bilis eliminantur, qua morbus venit considerandus. Cura causis enervandis finitur, quem in scopum victus incongruus mutetur, refrigeratio evitetur, et ventriculi debilitas aquis aromaticis auferatur. Vomitus pertinaciter durans ex ventriculi sensibilitate et irritabilitate excedente productus, causis ceterum amotis, optimo cum effectu acido carbonico, potione Riveri explicando et extracto hyoscyami oppugnatur.

4. *Urinae secretionis impedimenta. a) Ischuria*, plenaria urinarum secretarum retentio (Harnverhaltung), vel urethrae concretionem vitiosam organicam, vel intumescentiam ejusdem indolis inflammatoriae post partus difficiles previis clunibus absolutos, vel vesicae colli sphincteris spasticam contractionem e refrigerio aut potu in fermentatione versante ortam qua causas agnovit. Impedito urinarum secessu dolorifica oritur intumescentia supra pubis ossa, infantes inquieti incurvantur, febri adficiuntur et agrypnia torquentur. Si urinae magna copia accumulatae non auxilio cito eva-

cuantur, mors insequi potest ob inflammationis exortae in gangrenam aut ob disruptionem vesicae vel urethe-rum. In therapia facienda primo impedimentum urinae secessus amovendum est; quare concretiones urethrae secundum chirurgiae principia tractentur, inflammationes urethrae et spasticae colli vesicae urinariae contractiones balneis tepidis, clysmatibus emollientibus et sopientibus, cataplasmatibus calidis pubium regioni imponendis, injectionibus olei aut lactis calefacti in urethram, et interne emulsionibus oleosis resolvantur.

b) *Stranguria* (Harnstrenge) ischuria imperfecta est, ubi guttatim solummodo et sub doloribus urinarum excretio contingit ob colli vesicae urinariae spasmum refrigerio inductum, urinas acres, potus fermentatione corruptos et magnam genitalium intertriginem. Si urinae evacuatio non impetratur, ut priori in casu, vesicae disruptio mortem causans insequitur. Cura balneis tepidis emollientibus, clysmatibus antispasmodicis talibusque fomentis, purgatione genitalium quotidie reiteranda, inunctione olei hyoscyami vel unguenti opiati in vesicae urinariae et perinaei regionem potuumque mucilaginosorum usu perficitur. —

5. *Spasmi.* Non exiguus est, quo tenerae infantes plectuntur, numerus morborum spasticorum, quorum tamen consuetissimi et momenti gravissimi: trismus, tetanus, eclampsia, convulsiones majorem sibi vindicant attentionem.

a) *Trismus* (Mundklemme) in zonis torridis vulgarior, quam in Europa est spasmus sub forma maxillae inferioris ad superiorem fortiter adpressae. Qua prodromi observantur: inquietudo infantum, clamor subitaneus, pavores sub somno, leves musculorum faciei convulsiones, strabismus, sugendi ac deglutiendi, quin impedimentum aliud inveniatur, impotentia.

b) *Tetanus* (Starrkrampf) nobis rarus, in zonis autem torridis inter tropicos frequens, morbus periculo

plenus, spasmum sistit universalem tonicum, omnes musculos voluntarios contrahentem, perstantem, ita ut corpus integrum rigidum appareat, silentibus cunctis vitae apparitionibus.

c) Eclampsia (innere Krämpfe, oder Kopffraisen, Gichter, stiller Jammer, Schäuerchen), manifestatur musculorum faciei et oculorum distortionibus, risu infantum sub somno, subita corporis concessione, inquieta capitis jactitatione, dentium stridore, respiratione difficili, ejulatione nec non conscientiae defectu. Eclampsiae symptomata prodromi esse solent ceterarum spasmorum formarum.

d) Convulsiones (Fraisen) se produnt indolorificis spasmis clonicis, musculorum omnium voluntati obedientium contractione et relaxatione alternantibus insignitis, quae in facie et extremitatibus praeprimis comparent, quin conscientia obnubiletur. — Essentia omnium spasmorum specierum in disharmonia systematis nervosi et muscularis consistere videtur. Infantes in spasmos jam maxime disponuntur ob magnam irritabilitatem exiguamque virium energiam. Causae excitantes sunt diversissimae, ut: refrigeratio corporis aestuantis, matris aut nutricis lac corruptum et animi pathematibus alienatum, victus incongruus, vermes, acidorum in primis viis praepondium, efflorescentiae cutaneae retropulsae, dentium evolutio, sanguinis congestiones ad encephalon, medicaminum narcoticorum abusus, in specie theriaci et syrupi papaveris rhoeados.

Prognosis in omnibus spasmorum speciebus neonatorum in genere est anxia ferenda, quia saepe immediate in prima statim sub invasione in mortem terminantur, ut rismus et tetanus. Minori periculo stipantur convulsiones brevi adhucdum durantes, rarius revertentes, si causae excitantes mox removentur. Infantes corpore robustiore gaudentes frequentius succumbunt, quam debiliores. Therapia in spasmis instituenda duabus inni-

titur indicationibus; 1. causas excitantes amovendi et 2. spasmos ipsos remediorum sic dictorum antispasmodicorum usu solvendi. Primae indicationi pro diversitate causarum diversa satisfit medendi ratione, quare refrigeratione praegressa balnea atque medicamina leniter diaphoretica adhibeantur, ventriculi cum alimentis nocivis et indigestis oppletio laxantibus et emeticis minuantur, alvi obstipatio clysteribus et mite purgantibus solvatur, congestiones ad encephalon hirudinibus retro aures ponendis, epithematibus egelidis, pediluviis derivantibus, clysmatibus solventibus et purgantibus antiphlogisticis restringantur necesse est. Quodsi vero causae aut inveniri aut amoveri nequeant, aut spasmi, licet causae jam sint enervatae, nihilominus infantes torquere pergunt, secunda indicatio venit adimplenda, remedia exposcens, quorum virtus antispasmodica reiteratis medicorum experientiis comprobata innotescit; in quibus seligendis infantum individualitates et praecipue systematis nervei conditiones veniunt considerandae. Quare, sensibilitate adaucta praesente, antispasmodica, temperantia, sedantia prosunt, in specie flores Zinci magnesiae carbonicae aut radici ipecacuanhae nupti, porro narcotica: aqua laurocerasi, aqua amygdalarum amararum, extractum hyoscyami, lactucarium. Energia tamen systematis nervosi depressa romedia sic nervina, volatiliter excitantia: Chamomilla, Valeriana, liquor ammonii succinatus et anisatus, Moschus etc. indicantur. Quae remedia cuncta parvis tantummodo dosibus et intervallis liberis unius alteriusve horae interpositis propinentur oportet. Remediis antispasmodicis externe adplicandis adnumerantur: Balnea tepida tam universalia, quam topica, pedi-et manuluvia, quibus substantiae vel mucilaginosae, vel aromaticae, vel cutem irritantes admiscentur, porro tales fomentationes et clysteres, tandem synapismi et vesicantia.



Literatura.

Hier. Mercurialis, de morbis puerorum tractatus locupletissimi duobus libris descripti. Venet. 1583. 4. Basil. 1584.

Cl. Schwarzer, Handbuch der Geburtshülfe. Wien 1838. 8.

Val. Kraeutermann's getreuer, sorgfältiger und geschwinder Kinderarzt. Frankfurt u. Leipzig 1740. 8.

J. Storch, Abhandlung von den Kinderkrankheiten IV. Bd. Eisenach 1750—1771. 8.

Nicl. Börner's Kinderarzt. Frkft. u. Leipz. 1752. 8.

Nic. Rosen von Rosenstein, Anweisung zur Kenntniss und Kur der Kinderkrankheiten. Aus dem Schwedischen übersetzt und mit Anmerkungen erläutert von J. A. Murray. Gotha u. Göttingen 1765. 8. Sechste Auflage m. Anmerkungen von Bader u. Bucholz, Göttingen 1798.

G. Armstrong, über die gewöhnlichen Kinderkrankheiten u. deren Behandlung. Aus dem Engl. von J. C. G. Schäffer. Regensburg 1786. 8.

C. J. Mellin's Kinderarzt. Kempten 1782. 2te Ausg. 1783.

Ch. Girtanner's Abhandlung über die Krankheiten der Kinder u. über d. physische Erziehung derselben. Berl. 1794.

Ch. A. Struve's neuestes Handbuch der Kinderkrankheiten, besonders zum Gebrauche für Eltern und Erzieher. Breslau 1797.

N. Chambon, über die Krankheiten der Kinder, übersetzt von Becker. Berlin 1801.

Fried. Jahns neues System d. Kinderkrankh. nach Brown'schen Grundsätzen und Erfahrung ausgearbeitet. Amstadt 1803. 8. Neue umgearbeitete Auflage 1807.

Joh. Jac. v. Plenk, Lehre von der Erkenntniss u. Heilung der Kinderkrankheiten. Wien 1807. 8.

Joh. Feiler's Paediatrik, oder Anleitung zur Erkennung u. Heilung der Kinderkrankheiten. Sulzbach 1814.

Fr. Jos. v. Mezler, Sammlung auserlesener Abhandlungen über Kinderkrankheiten. Prag 1831. 8.

Theses defendendae.

1. Omne medicamen — stimulans.
2. Animi hilaritas est optimum macrobioticum.
3. Therapia in ulceribus curandis morbum universalem respiciens topicae anteponenda.
4. Infantum utero enixorum depuratio inepta fons morborum saepe uberrimus.
5. Qui diu examinat, raro exanimat.
6. In tractandis morbis infantum emetica summe proficua.
7. In febri nervosa secundaria mere stimulantia nocent.
8. Blennorrhoea venerea lui universali gignendae par.
9. Melius est, medicum multa vidisse, quam legisse.
10. Sanitas infantum utplurimum sanitati parentum debetur.
11. Magnum discrimen roob inter et flores sambuci.
12. Non idem, quodnam causticorum adhibeas.
13. Crescente medicorum numero decrescit medicinae dignitas.

